

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 25.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

cesse est, quam quidem alio probandi medio, nisi protestationis instrumento publico, absolvere non poteris. Omni ergo dubio caret, etiam in dicto casu protestatione opus esse, ad processum, scilicet de quo hic agitur, cambialem; ordinarius enim processus aliis probationibus omnino fundari potest.

§. 24.

b) Circa eorundem solutionem,

ω) Si contra tractatum experiendum est.

Convertamur nunc nos ad aliud factorum genus, quae protestationem cambialem efflagitant; omissam scilicet solutionem acceptatione jam facta *); (quo casu protestationem *protesto di non pagamento* vocant.) Primo loco quidem hic istud tenendum est, cambii possessorem, si quidem non nisi contra acceptantem experiri velit, nullo modo indigere protestatione. Omnia enim, quae ab isto petere potest, ipsa jam acceptatione satis superque confirmantur. Eadem enim continetur propria confessio, quae probationi plenae omnino sufficit.

§. 25.

Fluit exinde quoque, cambii possessorem in isto casu ab acceptante non posse exigere restitutionem expensarum circa protestationis consignationem factarum; quippe quae omnimodo superfluae et ultra omnem necessitatem factae sunt, quae quidem omnia tum circa ac-

*) Acceptatione simpliciter denegata nova de solutione non praestita protestatione opus non est. SIEGEL corp. j. camb. P. II. parere 39. pag. 42. RICCI exerc. j. camb. Ex. X. Sect. 5 §. 12.

ceptionem ordinariam, tum circa acceptationem in honorem cambii siye debitoris cujusdam cambialis factam simili modo obtinent.

§. 26.

β) *Si contra alium.*

Alia vero rerum ratio existit, si non contra acceptantem, sed contra alium, trassantem scilicet siye indossantem quendam, actionem cambialem ex non facta solutione intendas. Nulla enim tunc actio nata est, nisi ex facto tertii omisso, id est ex solutione non praestita. Apparet igitur, hoc prae ceteris probandum esse, idque, uti ex anterioribus patet, non nisi protestatione cambiali. Et quidem omnino idem obtinet, siye trassatus siye alius, a quo acceptatio per literas commendatitias (§. 19.) petita sit, quique exinde acceptavit, *) siye porro ipse acceptans siye acceptantis heredes solutionem detrectent. **)

§. 27.

γ) *Si in honorem cambii acceptans non solvat.*

Evenit autem interdum, ut post consignationem protestationis ex denegata acceptatione per trassatum facta subortae alius quidam in honorem cambii acceptet. Quaeritur nunc, si et is, qui interveniendo acceptavit, tempore convento non solvat, an denuo sit protestatio inferenda? Dubitant auctores. ***) Jubent protestationem du-

*) Allg. pr. L.R. P. II. §. 1112.

**) Allg. preuß. Landr. P. II. §. 1108, 1110.

***) Püschmann §. 119.

D

